DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

A M A U R O S I.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
AMAUROSI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS PALEY, A. M.

ANGLUS,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN.

NEC NON

SOCIET. MED. NOSOCOM. GUII. LOND. SOC.

AD DIEM 12. AUG. HORA ET LOCO SOLITIS.

But thou
Revisit'st not these Eyes, that roll in vain
To find thy piercing ray, and find no dawn:
So thick a *Drop serene* hath quench'd their orbs,
Or dim suffusion veil'd.

Milton's Parad. Lost, B. 3.

GLASGUÆ:

EXCUDEBANT J. ET J. SCRYMGEOUR,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1802.

VIRO REVERENDISSIMO

ET

ERUDITISSIMO

GULIELMO PALEY, S. S. T. D.

ARCHIDIACONO CARLEOLI,

NEC NON

SUBDECANO LINCOLNIÆ;

CELEBERRIMO PIETATIS VERÆ

ET LITERARUM INGENUARUM PATRONO,

ETIAMQUE

INSIGNI ECCLESIÆ ORNAMENTO;

HANC DISPUTATIONEM,

SUMMA OBSERVANTIA,

D. D. DEDICATQUE

ROBERTUS PALEY.

VIRO OPTIMO

PRÆCEPTORI QUONDAM SUO

GULIELMO HEY, S. R. S.

ARMIGERO,

MULTOS ANNOS,

NOSOCOMII LEODIENSIS

CHIRURGO PERITISSIMO;

OB BENEVOLENTIAM,

PIETATEMQUE VITÆ

PARITER INSIGNI;

PROPTER BENEFICIA FERE INNUMERA,

AMOREMQUE JUXTA PATERNUM

IN SE COLLATA;

OPUSCULUM HOC,

ANIMI GRATI SIGNUM,

DONAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE AMAUROSI.

Auctore Roberto Paley.

PROEMIUM.

Corporis humani quidem nulla pars plùs attentionem et studium nostrum mereri quam oculus, videtur. Formâ mirâ, ejusque utilitate omnibus aliis multum præstat, quippe qui nobis scientiam rerum fere totam mire adferat eoque dignus sit tam Philosophi quam Medici inquisitione: qua ex re fit, ut iis morbis, quibus obnoxius, animum diligentissime adhibere noſtrum oporteat. Nam, aliquam conditionem vitæ graviorem vel miseriorem hujus, tanto voluptatis et scientiæ ex eo ortæ privati, effingere possumus? Hanc jacturam videndi potestatis Miltonus, graviter morbo

de quo est animus disserere, afflictus, verbis, quæ animos omnium commoveant, cecinit.

Non equidem postulabitur, spero, quòd multas animadversiones à me factas offeram; quæ igitur mihi optimam morbi descriptionem dare videntur, ex libris auctorum, qui rem tractaverunt, eligere conabor.

Huic morbo nomen Cataractæ Nigræ etiamque Guttæ Serenæ olim impositum est, naturâ ejus minime intellectâ; nostrâ memoriâ Amaurosis (ex ἀμαυρόω obscuro) nomen melius datur. Omnis autem affectus oculi, facultate videndi diminutâ, eidem morbo non referendus est; nam de iis morbis oculi amaurosis dicitur, quibus tunicæ Retinæ sensus plùs imminutus quam solet; vel etiam totum deperditus. Culleno sic definitur. "Visus imminutus vel prorsus abolitus, sine "vitio oculi evidente; plerumque cum Pupillâ di-"latatâ et immobili." Ab illo dividitur in has quatuor species sequentes.

I. "Amaurosis Compressionis, post causas et "cum signis congestionis in Cerebro.

II. "Amaurosis Atonica, post causas et cum "signis debilitatis.

III. "Amaurosis Spasmodica, post causas et "cum signis spasmi.

IV. "Amaurosis Venenata, à veneno ingesto "vel applicato."

Mihi nulla causa apparet quod inter Amaurosim Atonicam et Amaurosim Venenatam discrimen haberetur, quare duæ species conſtituerentur. Inter causas aliquid diversi existeretur et tamen iidem morbi sint. Videtur etiam Amaurosim Spasmodicam eandem speciem rectè posse adjungere. Spasmus ut fibras musculares afficeret, ne-

cesse est, sed ad oculos nulli nobis musculi visi sunt pertinere, nisi ii qui oculum et Iridem movent. Si modo Iris spasmo afficiatur, sensibilitate Retinæ restante, hoc non appellandum Amaurosis. Sin musculi etiam recti et obliqui spasmo corripiantur, nervo optico compresso, motus oculi ut multum impediretur vel potius omnino prohiberetur, necesse est.

Profectò equidem per convulsiones factæ particeps affectionis est oculus, hoc tamen unà cum Paroxysmo cessat, et si satis magna compressio in nervum, ut Paralysis perduceretur, facta sit, sine dubio, ad Amaurosim Atonicam referendum est.

Species prima morbos eos omnes complectitur quibus Tumores vel cerebro sanguinis congestio, nervum opticum comprimens, inveniantur.

Species ſecunda eos includit, quibus debilitas simplex Retinæ conflatur, ex aliquibus talibus causis, vel noxiis vaporibus, vel rapido lumine aciem oculorum subito incutiente, vel narcoticis in Stomachum receptis ibique continuò nervos afficientibus: quando res sese habet, ut nervos, nihil morante, afficiant et non equidem per sanguinis vasa, satis ab Hallero comprobatur.

Hujus morbi sunt etiam tres diversæ conditiones, nempe *Amaurosis perfecta*, *Amaurosis imperfecta*, et *Amaurosis partialis*.

Harum primâ sensus Retinæ prorsus extinguitur, adeo ut æger oculis omnino captus est.

Sencundâ, sensus tantum imminuitur, et æger jam aliquid sese offerens plusve minus obscurum videt.

Tertiâ, unum vel plura puncta Retinæ morbo

corripiuntur, reliquis sensum salvum et integrum retinentibus.

Historia Amaurosis compressionis perfectæ hoc modo sese habet. Hic morbus omne tempus ætatis et omne genus mortalium, vel mares vel feminas, quocunque modo vivitur, infestat. Raro utrosque oculos eodem tempore invadit, et, quum nulla injuria illata sit, per continuos gradus sensim plerumque irrepit.

Æger à principio plerumque de dolore obtuso Capitis, præcipué sincipitis, subinde per orbem oculi penetrante, queritur ; aliquando etiam sensu frigoris, tinnitu aurium et vertigine unà comitantibus : interdum memoria quoque deficere, stupor etiam induci cœpit.

Æger adhuc videndi facultatem esse infirmatam haud sentiat, sed hâc de re, integro oculo

clauso, certior fiet. Tandem equidem coruscationes ut Ignis, scintillas, nebulas et maculas nigras, quasi muscas, ante ejus oculum volitantes, sentit. Si nunc oculus inspicitur, pupilla dilatata, Irisque, luce per eam incidente in Retinam, haud contracta, invenietur: cùm tamen inspiciatur, cura habenda est ut integrum oculum claudamus, aliter Iris oculi morbidi unà cum alterâ contrahetur, sic ut nullum discrimen inter oculos percipi possit.

Fortunatus ille æger dici possit, si morbus non longius procederet, sed heu! alter oculus sæpìssime eodem modo afficitur, et nunc videndi facultatem sibi plus indies esse direptam animadvertit: maculæ nigræ quoque coruscationesque et alias supra memorata, frequentiora et sibi bene comperta fiunt; Iris, luce transmissâ, minus contrahitur; nam, tanto minus movetur, quanto morbus vires recipit. Hoc modo status morbi cognosci potest: nam in hominibus Iris observa-

tur ex lucis vi incidentis et Retinæ sensibilitate pendere : sed hanc rem postea memorabo.

Æger nunc res obscurissimé videt, et, ut partes earum diversas rectè intueatur, opus est ut eas extra oculorum axes collocaret, quòd radii luminis intervallo aucto ab ingressibus nervorum opticorum in utrasque Retinas incidant.

Hic visus obliquus iterum atque iterum â me animadversus, etiam à Hey * memoratus est.

Si morbus autem repentino aggressus fuerit, æger plerumque varios colóres distinguere haud possit, nam id, quod oculis integris, rubrum, nunc invalidis atque hoc morbo correptis, cæruleum videretur : à † Porterfield observatum est,

* Medical Observations, vol. V.

† Porterfield on the Eye, vol. I. p. 131.

si oculorum unus morbidus sit, idem color utrisque oculis sensus videndi diversos excitabit.

Æger nunc ſortem miſerimam, quâ ſtatim verſabitur, nimis bene præſentit nam paulò poſt lumina noćte cœcâ clauduntur.

Iris utraque dilitari solet, haud quaquam, luce admissa, contrahens, sed potius sese explicans visa est. Aliis tamen oculi intacti apparent ; aliquando quidem perlucidiores quam consuetudo fert, Retinâ fortasse opacâ, ideoque plus lucis quam cùm integra et splendida esset, reflectente.

AMAUROSIS ATONICA.

Hoc species celerius quam altera accedit, et plerumque non cum tanto dolore Capitis et scintillis aliisque symptomatibus congestionis sanguinis cerebro comitatur ; nigras maculas verum ma-

gis continuas et durabiles quam anteà invenimus; atque videndi facultas sine ullo vitio oculi nobis manifesto, præter pupillam dilatatam, continuò defici cœpit. Cum morbi accessio subito fit, æger primo sæpe visum impeditum sentit, se, magnitudinem rerum ut appareant, decepto; nam est quasi nebula circumfusa, quæ aliquas longiùs res quam reverà sint videri facit. Quâ ex re fit, nisi usus nos certiores, quomodo res sese habent, fecerit, ea multo majora et ingentiora quam quidem sunt judicaverimus.

Hujus speciei plerumque est Amaurosis partialis, quæ sæpe oritur oculis affixis in aliquo fulgentiore tenendis.

In memoriam jam revoco hominem aliquando mihi visum partem circum axem utrarumque Retinarum paralyticam habentem, ita ut omnia illi foramina medio tenentia viderentur.

* St. Yves exemplum rarum memorat, cujus, propter insolentiam, mentionem faciam. "Un Chanoine Regulier de Rheims vint à "Paris me consulter; J'apperçus qu'un de ses "Yieux étoit attaqué d'une Paralisie imparfaite: "Il y avoit une dilatation à la prunelle, qui "n'avoit qu'environ un quart de son mouve-"ment de constriction; mais je fus trés surpris "de ce qu'il me dit qu'en regardant dans un "livre (l'oeil sain étant fermé,) il y voioit son "oeil malade parfaitement representé. La pré-"miere Idéa que j'eus de ce Chanione fut de "le croire un Hipocondrique; cependant pour "m'assurer de la vérité, je le priai de fermer "l'oeil sain, et de regarder dans un livre, en-"suite de quoi je lui demandai ce qu'il voioit "sur le page; il me répondit qu'il appercevoit "les lignes, comme des raies noires, sans distin-

---

* St. Yves Traité des Maladies des Yeux, ch. xxviii. p. 260.

" guer les lettres, et que dans le milieu, il voioit " son oeil représente : Je le priai de me dire, " puisqu'il assuroit de voir son oeil, de quelle " couleur étoit son Iris, et la disposition de cer- " taines raies qui le traversent ; il me repondit " là dessus si juste et me les designa si bien, " que je ne les voioit pas mieux moimême dans " son oeil. Ce jeune Chanoine fut guéri en " trente Jours par l'usage des purgatifs, des " Bouillons rafraîchisans et des remedes spiri- " tueux appliqués sur son oeil ; en sorte qu'il " revit parfaitement bien à lire de cet oeil sans " en appercevoir la representation. M. Petit de " l'Academie des Sciences, m'a assuré avoir vu " la même maladie."

Quamvis Iris plerumque dilatata et luce transmissâ sese non contrahet, aliquando tamen *

* St. Yves, part. II. p. 253. Boerhaave de Morbis Oculorum, c. iii. §. 101. Janin Memoire sur l'Oeil, p. 425.

contractionem ejus durantem et immotam vel etiam, ut nonnulli dicunt *, majus motûs pro videndi facultate adhuc possessâ, invenimus, et hâc in re non possumus videndi defectionem oculis percipere, quamvis ægro fere facultate totum adempta.

CADAVERUM INCISIO.

Raro opportunitas nobis occurrit corpora eorum, qui, hoc morbo correpti, diem supremum obierunt, intuendi et singulas partes scrutandi; nonnulli auctores tamen nobis Phænomena jam dicenda tradiderunt.

Post Fracturas Cranii Amaurosi comitatas, os depressum cerebrum comprimere inter decursum nervorum opticorum inventum est; etiam vi

* Maitre Jean Maladies de l'Oeil, p. 278.

* Luis Venereæ, spiculæ osseæ eodem loco conspectæ sunt. † Boerhaave exemplum memorat, quo, exostoseum os cuneiforme nervum opticum comprimens, invenit; narrat quoque glandulas strumosas amplectantes et instantes nervos opticos vidisse. ‡ Sauvage eandem rem sibi perspectam ait. Serum aut ventriculis Cerebri vel Basi Cranii infusum, vasis vicinis turgidis factis §, ut nervi optici afficiantur, observatum est.

¶ Hey narrat exemplum quo, unius nervorum opticorum à juncturâ eorum ad Foramina Lacera, color cinereus erat, minoris et durioris altero; quatuor vertebris cervicalibus superioribus carie affectis.

---

* Plenck de Morbis Oculorum, p. 181. §. 14.

† Boerhaave de Morbis Oculorum, c. iii. § 3.

‡ Sauvage, Nosol. Meth. t. I. p. 247.

§ Zinn, Descript. Oculi Humani, c. xi. §. 6.

¶ Med. Observat. vol. V. case v.

* Soemmerring sectando Cerebrum hominis delirio epilepsiæque obnoxii, nervum opticum dextrum, à Thalamo Nervi Optici ad eorum juncturam, multo minorem quam sinistro; sed postea sinistrum minorem observavit. † Morgagni et ‡ Vesalius dicunt se nervum opticum lateris affecti emaceratum invenisse.

CAUSÆ.

Amaurosis à Compressione. Pro certo habeamus, quod plethora universa causa prædisponens sit, sed sine hâc, plethora localis ex causis variis existat, ut tussi, cachinno, vomitu, subitis per-

---

* Soemmerring de Decussatione Nervorun Opticorum, ob. 2, et Exemplum simile, ob. 3.

† Morgagni de Causis et Sedibus Morborum, epist. xiii. n. 7.

‡ Vesalius de Hum. Corp. Fab. l. iv. c. 4.

turbationibus animi, et quidem quodcunque augere congestum sanguinis Cerebro, respirationem impedire, vel reditum sanguinis venosæ è Capite prævenire pertinet. Hoc modo vasa oculorum tam turgida facta sunt, ut nervos opticos comprimant. Hæc plethora localis, nihil morante, effusione seri, sese ventriculos Cerebri aut in imam Cranii partem inferentis, vel Tumore tandem desinat; quæ quidem nervis opticis, congestu nunc concesso, vim adhuc afferant.

Hoc modo vulnera Capitis depressionesque Cranii Amaurosim contrahant, vel ab congestu primo collecto vel compressione Cerebri factâ, ita nervis opticis vi illata. * Hujus, suppressio quoque mensium et detractionum humorum eruptionumque Cutis, videlicet, Scabiei Capitis, Herpetis et aliorum exanthematum, causa existat. ‡

* St. Yves Traité, p. 343. De Haen Ratio Medendi, par. vi. p. 264.

‡ Plenck de Morbis Oculorum, p. 181.

Ad hæc accedantur, * Exostosis, Luës Venerea in ossibus Cranii, Scrophula ét aliquando Opthalmia ut Hey, Hoffman et alii volunt; ne multa dicam, quicquid congestum sanguinis Cerebro efficiat, hujus morbi causa fiat.

Causæ Amaurosis Atonicæ. Eæ fortasse non tam plurimæ quam causæ alterius speciei oriantur. In nervos continuo agunt, nullo congestu facto. Eos inhabiles reddunt quibus variis officiis fungi sors est. § Artifices quidam, quibus opus est persæpe accuraté res luminosas inspicere, sese graviter eodem hoc morbo affectos nonnunquam sentiunt. Qui etiam multam noctem pertrahant luce lucernæ legendo vel scribendo; quique radiis solis se exponunt, præsertim cùm statim ex loco obscuro et umbroso egressi

* Boerhaave de Morb. Ocul. c. iii. §. 3.

§ Boerhaave de Morb. Ocul. p. 118. St. Yves, par. II. p. 249.

sint. Plumbum, Arsenicum et quædam alia metalla, vel formâ Vaporum oculo applicata, vel in Stomachum recepta, hunc morbum creant. Hâc de causâ Plumbarii, Pictores et alii hujusmodi ei expositi sunt. Etiam quædam Herbæ, quæ narcoticæ vocantur, eodem modo excitant; ut * Opium, Belladona, Aconitum aliæque. Omnes evacuationes immoderatæ, ut † Hæmorrhagiæ, ‡ Diarrhæa et præcipue nimis indulgentia rebus venereis, Amaurosim inducunt.

DIAGNOSIS.

AMAUROSIS simplex non equidem pro ullo alio morbo facile haberi possit; Iridis immobilitate tam perspicuâ. Verum cùm ima pars oculi

* Berger Dissert. de vi Opii, §. 4.

† Journal de Medicine, t. 20. p. 422.

‡ Ib. et Plenck. p. 178.

alba et perlucida fulget, similitudinem Cataractæ trahit, sed oculo oblique inspecto, statim discrimen videatur, nam in Cataractâ, opacitas post Iridem suffusa est, Amaurosi autem, haud prope, verum aliquo spatio abest.

RATIO SYMPTOMATUM.

Œconomiæ Nervorum adeo sumus ignari, ut non igitur expectandum sit symptomatum variorum rationes veras me posse reddere; diligentissime res ut accidant investigando, aliquo modo ea explicare possimus; et in hoc conatu, studebo, quantum in me est, hypotheses evitare.

Coruscationes et *Scintillæ*. Fidem equidem adhibemus, hæc Phænomena vi illatâ Retinæ per congestum sanguinis in vasis suis oriri; nam ea augentur quocunque gravescat congestus; ut mutatio subita ex statu erecto ad recumben-

tem, omnes quoque repentini vehementesque conatus. Quinetiam eadem imitari, compressione arte facta, possimus ; nam si, palpebris clausis, pressurâ in ullam partem oculi post ligamentum ciliare factâ, circulus luminosus adversus partem eam compressam animadvertetur.

* Allen hoc experimentum à se factum tradit. In camerâ obscurâ, oculo per musculos prius fixo, eum digito suo pressit ; brevi tempore maculas lucidas rubrasque sensit, pressurâ nihil intermissâ, color aureus visus est ; postea croceus ; deinde ad eundem modum colores omnes prismatici et in ordine rectâ sese ostenderunt. Quum autem color violaceus alios excepisset, nihil ultra spectatum ; sed cùm esset in lucis regionem regressus totam Retinam paralysi esse affectam ; verum, circiter viginti quatuor horas, facultatem amissam recuperavit.

---

* Allen Prælect. Oeconom. Animal.

Ad congestionem Sanguinis Cerebro, *Suffusio, Tinnitus Aurium, Vertigo, Stupor* et *Memoria diminuta* attribuuntur.

Muscæ volitantes. Hæ imagines formantur à compressione partiali vasorum sanguinis super Retinam, ut in eâ quadam puncta paralysi afficiantur.

Pupilla dilatata. Pupillæ contractio non ex luce Iridi sed Retinæ applicatâ pendere explorata est ; et quanto plus lucis admissæ, Retinæque sensibilitatis, tanto est contractio Iridis. * Fontana hoc experimento nitido demonstravit ; chartam nigram in formâ coni convolvit, cujus diameter apicis tres quartas partes lineæ non amplius erat. In summo ejus, lucernam accensam posuit, apice ita directâ, ut lux Iridem superincide-

Fontana dei Moti dell' Iride, p. 7.

ret, et per pupillam non transiret, quo facto, nulla contractio videbatur; sed quando lux directa per pupillam penetraverat, Iris sese contrahebat. Hallerus etiam experimentis variis, Iridem stimulis usitatis non affici, monstravit. Facile credamus Retinam compressione factâ, eodem modo ac alii nervi sensibilitatem perdere, et, sine ullo conatu actionis nervorum explicandæ, non dubium est, quin, alicujus rei videndi causa, radii lucis ex eâdem repercussi, in Retinam inciderint, eodemque tempore quâdam actione vel mutatione factâ. Hæc nervo optico communicandæ sit, atque illinc Cerebro, ubi quodam modo facultas videndi fit: si compressio vel mutatio structuræ Retinæ, vel nervi optici vel Cerebri accidisset, hæ actiones vel mutationes accidere nequeunt.—Quatenus defectus Retinæ sensûs hâc viâ explicatur, auctoritate rerum factarum nitimur; sed longiùs progredi, scientiâ hâc de re valde imperfectâ, in caligine hypotheticâ fore nosmetipsos immergere.

Uno tantum oculorum morbo correpto, ejus Iris moveri eodem modo quo illa oculi sani cernitur. Hoc videtur accidere, quòd Irides ambæ simul moveri solebant; nervus autem cilliaris illæsus judicandus est, alioquin nullus talis motus fieri potest. * Maitre Jean, hâc re fortasse ne ab illo perspectâ, affirmavit, in Amaurosi pupillam non plus dilatam esse quam solet; si hoc verum fuisset, opinioni contrariæ assensisset, oculo modo integro clauso, dum alterum examinabat. Alii quoque motum declaraverunt Iridis permanere, quamvis æger cæcus sit. Alii id consuetudini attribuerunt. Si autem utrique oculi afficiantur, motus cordis æquè expectandus sit permanere, nervis ejus omnibus sectis, vel homo, paralysi correptus, brachium suum affectum movere posset, quòd eo uti semper rebus variis soleret. Accidebat etiam, uno oculorum morbido,

---

* Maitre Jean Malade de l'Oeil, p. 278.

Iris, ad hanc opinionem, palpebræ quamvis oculi intigri occlusæ sint, deberet mobilitatem suam conservare. Non equidem memini exemplum hujusmodi me vidisse, neque omnino jam possum hujus inusitati Phænomeni rationem reddere. Confitendum est me dubitare rem unquam extitisse; quippe, nonne suspicandum sit, quin ii, qui eam primo observaverint de morbo forsitan erraverint, vel quando unus oculorum morbidus fuerit, non sanum claudere oculum curârunt?

Pupilla Contracta. Hoc mihi videtur non esse Amauroseos simplicis; nam invenimus Iridem formam feré eandem, Cataractâ invadente, assumere, ægro plus doloris quam solitum intolerantiamque lucis conquesto, ante opacitas quam successerat: Nonnunquam etiam pupilla signa Inflammationis manifestiora præbet, Iride varie contortâ, et capsulæ lentis crystallinæ adhæsa. Nonne, ut rem aliquo expedirem, Amaurosim inflammatâ Iride esse comitatam arbitremur?

Quomodo fit ut idem color aliter oculo Amaurotico, ac integro et sano videatur? Hoc symptoma non semper adest, sed facile intelligam, idem ut adsit, ægro insciente; nam si perspiciamus vitrum subviridum, et paulatim colorem augeamus, res colore tinctas virido non conspiciemus: sed si primum vitro tincto colore viridiore utamur, res diversæ inter se apparebunt; idcirco, cùm morbus tardé augescat, æger mutatos colores non observabit.

Secundum theoriam Newtoniam de coloribus, radii lucis, qui minime refrangi queant, in tunicam nervosam oculi vibrationes excitant potentissimas, quæque longissimo tempore durant; et sic sensu radiorum rubefacientium consecuti; qui etiam possunt maxime refrangi, invalidissimos et per minimum spatium impetus faciunt, sensus inde radiorum violaceorum sequitur: nunc, nonne nobis conjectare liceat; hâc theoriâ hìc posthabi-

tâ, radios, diversos colores conferentes, Retinæ impressiones inter se vi tantum differentes excitare? si autem sensibilitas Retinæ læditur, radii, qui minime refrangi queant, vel etiam fortasse rectius dicere, qui moveant cellerimo cursu, impetum Retinæ Amauroticæ eadem vi ac ii, multo majus refracti, vel minore impetu incidentes in oculum sanum faciunt; et, quod mihi videtur fidem huic opinioni addere, est experimentum factum Alleno antea memoratum: nam ex eo factum est, tanto sensibilitas Retinæ diminuta ex compressione factâ, quanto spectrum se coloribus ordine prismatico induebat. Quando quidem Retina minimum sensibilitatis teneret, color, qui primo ruber videbatur, nunc violaceus apparet; et cùm hic quoque evanuisset, ea pars Retinæ, qua spectro occupata erat, paralysi afficiebatur: sed equidem, hoc totum esse potius Hypothesim, quam rem ritè confirmatum, confitendum est.

PROGNOSIS.

Hæc plerumque infausta est, et præcipue cùm morbus ullâ compressione oritur; quo igitur recentior morbus sit, eo majorem in spem sensus hujus restituendi venimus. Secunda species prognosim ferè faustiorem quam altera præbet.

RATIO MEDENDI.

Amaurosis ex compressione in duos gradus morbi apté dividatur. Primo gradu, morbus acutus; secundo, chronicus nominetur; et, in singulis, ratio medendi eorum inter se multum differet. Hujus in morbi incipio plus doloris atque alia symptomata congestûs Cerebro quam postea, præcipue ex motu accelerato inusitatâque distentione vasorum orta. Indicatio prima erit congestum localem retrahere; quam ob rem haud inutile erit Hirudines temporibus vel pone aures,

posteaque emplastra Cantharidum applicare. Eodem tempore etiam commodum sit balneo pluviali, semicupioque uti; maxime autem refert, quod visceribus curam sedulam adhibeamus, cathartica potentia administrando. Nam * "secretionem et fluxum promovet et auget, et simul majorem sanguinis et vis nervosæ derivationem abdomen versus efficit, motumque sanguinis per omnia hujus viscera promovet et multum humorem tenuem ex sanguine detrahit, et sic exinanitio generalis fit, et tensionem vasorum quæ sanguinem ubique corporis vehunt, minuit, et sanguinis ideo impetum temperat, et alias secretiones et exinanitiones minuit, et actionem vasorum absorbentium excitat atque intendit."

Celsus etiam, de Amaurosi mentionem faciens, his verbis utitur; "† Ex quibus nonnulli, cùm

---

* Gregory's Conspectus Med. Theoret. §. 1418.

† Celsus, lib. VI. cap. vi. p. 368.

aliquandiu nihil vidissent, repentina profusione alvi lumen receperunt." Si hæc remedia leniora haud valent ad symptomata importuna removenda et æger corporis pleni sit, arteriotomia, catharticis potentioribus regimineque strictè antiphlogistico utendum est; morbum ab omni causâ quæ excitet ægro præcavendum est; si hæc remedia processerint; ut facultatem nervorum balneo pluviali, aurâque electricâ et vaporibus volatilibus oculis applicatis restituamus, opera danda est; sed contra, his remediis magnum spatium adhibitis, insensibilitas Retinæ adhuc restat, congestu depulso, credamus gradum morbi secundum aggressum; inflammatione ad finem perducta, vel effusione seri vel tumore facto, quorum singula quandam partem nervi optici comprimant. Quantum opportunitas de hâc re me certiorem faciendi data est, ratio curandi, quam * Hey commendavit, maximam utilitatem secum affert:

* Hey, loc. citat.

Scintillæ electricæ quotidie ex partibus juxta foramina orbitaria ſupra et infra detrahendæ sunt; et ægro hæ pilulæ recipiendæ ut per paucas hebdomadas salivatio lenis existeret:

R. Hydrarg. Muriat. mit.

Camphor. *aa* gr. iii.

Concerv. Cynosb. q. s.

Fiat Pilulæ duæ omni nocte horâ somni sumendæ.—Præter ea, vapores Ætheris Vitriolici, vel ullius alius rei volatilis frequenter ad oculos admovere juvabit.

Cavallo memorat exempla varia, quæ, electrizatione sic ab illo applicatâ, curabantur. Primo aura electrica per apicem ligneam eſt correptâ parte extracta, deinde impetus, haudquaquam violenti, ex parte superiore orbis ad occipitum transire facti sunt. Plerumque electrizatione nonnullas hebdomadas, sæpe etiam menses opus, et nonnunquam, his omnibus tentatis, nihil ex iis commodi acceptum est.

* Heister exempla duo Amauroseos, salivatione curata, narrat. † Hoffman etiam ait salivationem se efficacem vidisse.

Si effusionem seri esse in Cerebro suspicio oriatur, ratione medendi eâdem opus est ut pro *Hydrocephalo Interno*. Si morbus ex parte Cranii depressâ originem ejus duxit, curam in levando osse depresso habendam, et postea facultate nervi pristinâ recuperandâ, constat. Si suppressio menstrualium, vel aliorum fluxuum, vel cutis eruptionum causa morbi sit, consilium medendi jubebit hos fluxus solitos vel eruptiones eas restiture. e. g. Si causa sit suppressio mensium; Pediluvium, fricatio femorum et crurum, cathartica aloëtica, quæ intestinum rectum præcipue afficere censentur, Impetus quoque electrici, per regionem Uteri transire facti, adhibendi sint.

---

* Heister Med. Observ. ob. 120 et 149.

† Hoffman, par. IV. c. iv.

In secundâ specie rationem medendi diversam quærendam esse judico; nam hìc plethora localis, vel tumor aliquis comprimens nervum opticum non necessarié adest; tantum vi nervus solitâ eget. Indicatio igitur reparare vim Retinæ vel nervo suadebit. Ad quam rem plerumque ex usu sit tam systema totum nervosum quam partem affectam confirmare.

Ut prior conficeretur, in mari frequenter, lavare, et aëra, ex illo efflatum, spirare, utilissima remedia ducantur. Eodem tempore etiam animo omni curâ soluto, jucunde occupato; Cortex Peruvianus, Chalybeata nec non alia remedia tonica commode assumantur; ad partem autem affectam confirmandum, ad fluidum electricum seu galvanicum iterum nobis refugiendum est; etiam haud inutile erit vapores volatiles ad oculos applicare.

Emetica nonnunquam quibusdam auxilium

attulerunt. Exemplum traditur in * Journal de Medicine, qùo morbus à colicâ saturninâ originem traxit, qui diebus octodecim, emeticis sæpissime adhibitis, cum Vaporibus Spiritûs Vini curabatur.

† St. Yves etiam exemplum Amauroseos recentis memorat, emeticis duobus vel tribus et applicatione Spiritus Vini sanatæ. Dr. Zencker etiam exemplum Amauroseos enarrat colicâ saturninâ exortæ; primum plurima remedia frustra adhibenda sunt, aliquid tamen beneficii ex floribus Arnicæ Montanæ inveniretur; sed brevi tempore haud amplius valuit, postea Cicuta, sed nil tantum ægro profuit quam electrizatio, quâ vires tantas recuperavit, ut artem suam exercere potuerit.

* Journal de Med. l. xx. p. 348.

† St. Yves, par. II. p. 255.

Non concedendum est ægro ut res parvas vel luminosas inspicere neque oculos suos ad lucem splendidam exponere. Supervacaneum erit aliquid de Prophylaxe dicere quoniam hæc pendet in causis excitantibus evitandis.

ROBERTUS PALEY.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 11, lin. 14, *pro* Sencundâ *lege* Secundâ.
Pag. 21, Note, lin. 1, *pro* Nervorun *lege* Nervorum.